Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2953
Quelle:
Copyright:

Missalis est Ecclesiae *Pragensis*, cujus fata e folio praevio dabo. *Anno domini millesimo quadringentesimo nono Missale hoc per Sbynconem Archiepiscopum ecclesie pragen. de domo dominorum Baronum de Hasze prout insignia commonstrant in margine eiusdem* (foll. 11. et 307.) *depicta ipsius patrimonio comparatum extitit, quo defuncto* (a. 1411. ut infra) *ad dominos de Hasze patruos siue genealogiam iure successionis et in vim legati et donacionis &c. inter viuos deuolutum, hincque domino Jodoco de Ross episcopo wratislauien. dignissimo* (mort. 1447.) *diui recordij per dominum Vlricum de Hass baronem suo et sui germani domini Johannis de Hassenberg nominibus et auctoritate speciali amicicia nec non et potissime in refusionem aliqualem expensarum et grauaminum per eundem dominum Vlricum cum non parua sua familia in castris et dominijs ecclesie sue aliquamdiu factarum donatum post cuius mortem se dominus Rudolphus presul et successor* (quartus a Conrado) *de eodem tanquam relicto intromisit qui cum ipse dominus de Hass illud repetere et evincere conaretur sibi velut immemori prioris donacionis licet non gratuite nec ob ingratitudinem revocate quinquaginta aureos superaddidit et pagauit. qui quidem pontifex cum in aliquot centenis quasi obnoxius domino Nicolao Mokewitz Canonico ecclesie wratisslauien. et Cancellario quemadmodum in quadam litera episcopali sigillo appenden. corroborata apparet, in vim aliquantisper solucionis refusionis et memorialis tandem anno domini MCCCCLXIX die decima mensis Maij in curia episcopali solite habitacionis eidem domino Mokewitz dono dedit atque donauit euè* (in aevum) *permansurum.* Addit alia manus priori coaeva: *Item Anno domini MCCCCXI mortuus est Reuerendissimus in christo pater et dominus Dominus Sbynko Archiepiscopus pragen. in posonio alias pressburgk in exilio hora noctis tercia que nox fuit media inter diem S. wenzeslai et Mich. et in die S. Gereonis ac sociorum eius translatus de Vngaria in Boh. Sepultusque est in Capella Generosorum dominorum de Hazymburgk et kost in ecclesia pragensi in sepulcro marmoreo ut patet intuenti. Electus quoque erat ac confirmatus in Archiepiscopum Anno domini MCCCCII.* Sunt in posteriore hac Narratione, quae cum *Hagecio*, *Lupacio*, *Balbino* et aliis Historicis *Bohemiae* non consonant. Sed de Fatis *Missalis* nostri restant, quae *Codicis pag. ult.* leguntur: *Hoc Missale mihi donatum est ab Illustri Domina Domina Lucia Otilia Slawatin de et in Noua domo ac Telcz &c. cui et ego aliud pulchrum Missale Romanum dono dedi. Pragæ die S. Gregorii Papæ 12. die Martij. Anno Domini 1612. Jaroslaus Borsita Baro a Martinitz m. p.* Iam ipsam ejus Οἰκονομιαν videamus. Praeit *Kalendarium*, in quo IV. Non. Mart. *Translatio S. Wenceslai*, VII. Id. *Cyrillus et Methudius*, IX. kal. Maji *Adalbertus*,